

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Meditationum evangelicarum pars tertia, hoc est:
Tractatio evangeliorum tam dominicalium, quam
festivalium, ad recte se sub variis tentationum generibus
gerendum, disposita**

Creide, Hartmann

Francofurti ad Moenum, 1682

Dominica XII. post trinit.

[urn:nbn:de:bsz:31-126133](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126133)

Licet autem minimè probandus fastus hïc subest, dum aliis superciliose se præfert, tamen in genere gratiarum actionem ab eo discamus, maxime hodierno die, ubi nobis in memoriam revocamus, maxima illa beneficia, quæ nobis Deus per restitutionem pacis exhibuit, in omnibus Hierarchiis, & Domino confiteamur, quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia ejus, Psal. 118. v. 1.

Eo fine Deus olim in V. T. festa anniversaria, Paschatos, Pentecostes & tabernaculorum ordinavit, ne Israelitæ obliviscerentur beneficiorum ejus, sed gratâ mente ea recolentes fidem suam confirmarent. Hinc David: Suscitavit (Deus) Testimonium in Jacob: & Legem posuit in Israel &c. Psal. 78. v. 5. 6. 7.

Idem nobis quoque dictum esto. Hæc enim ex causa Deus præ omnibus aliis Creaturis ejusmodi linguis nos ornavit, quæ verba articulata proferre possunt, ut illas laudibus Dei aptemus, & cum Davide nos ipsos excitemus, dicentes: Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum; cantabo & Psalmum dicam Domino. Exsurge gloria mea &c. Psal. 57. v. 9. 11.

Hæc in parte sancti Dei homines exemplo suo præiverunt nobis. Israelitæ, Exod. 15. v. 1. Num. 21. v. 17.

De Davide dicit Siracides: Pro singulis rebus præclare gestis gratias agebat sancto Altissimo, egregio Cantico. Cantabat ex toto corde, & diligebat eum, qui ipsum creaverat, Sir. 47. v. 9.

Quantum Jubilum excitavit Rex Josaphat, cum filios Ammon, Moabitas, & habitatores montis Seir sine armis prostravisset? Congregati enim sunt in valle benedictionis, & benedixerunt ibi Domino, 2. Chron. 20. v. 26. Hæc exempla nos quoque imitemur, ut sit vox exultationis & salutis in tabernaculis justorum. Verum enim semper & ubique manet: Dexteræ Domini fecit virtutem, Psal. 118. v. 16. hoc placebit Domino super juvenem, cornua producentem & ungulas, Psal. 69. v. 33. Nam sacrificans laudem, honorificabit me, & illic iter, quo ostendam illi salutem Dei, Psalm. 50. v. ultim.

Hanc DEUS largiatur nobis omnibus, Amen!

DOMINICA XII. POST TRINIT.

Evangelium Marc. 7. v. 31. -- 36.

EXORDIUM.

DE Josepho memoratur, quod Dominus propter illum benedixit domui Putiphari. Ab eo enim tempore, quo eum domui & bonis suis præfecerat, Deus multipli-

cavit tam in ædibus, quam in agris cunctam ejus substantiam, Gen. 39. v. 5.

Josephus Typus Christi fuit. Sicut enim Deus propter Joseph domui Putiphari benedixit: Ita adhuc hodiè benedicit

spi-

spirituali domui suæ, quæ Ecclesia est, 1. Tim. 3. v. 15. & quidem in omni benedictione spirituali in cælestibus, Eph. 1. v. 3. ut non injuriâ alloquamur animam nostram cum Davide: *Benedic anima mea Domino, Psal. 103. v. 15.*

Deinde, sicut Josepho omnia prosperè succedebant; nam Dominus cum ipso erat: Ita de Christo dicitur, quod unxerit eum Deus Spiritu sancto & virtute: hinc pertransiit benefaciendo & sanando omnes oppressos à Diabolo, Act. 10. v. 38.

Tertiò, veluti Joseph ab uxore Domini sui calumniis lacessitus, & carceri inclusus, tandem ab ipso Rege exaltatus, & Pro-Rex Ægypti constitutus est: Ita Synagoga Judaica agnoscere noluit amplissima illa beneficia, quibus illi Servator obviabat, sed omnia calumniis & convitiis profudit, nec cessavit, donec in ligno eum suspendere, crucifixum occiderit, & tandem in sepulchro, velut in obscuro carcere conclusit, putavitque non amplius eum confurrecturum, Psal. 41. v. 9. Verùm Patet ejus cælestis suscitavit illum à mortuis, & constituit ad dexteram suam in cælestibus, Eph. 1. v. 20. ut non modò in Ecclesiâ militante in his terris præclarum illum *in 109* canatur: *Omnia benè fecit: sed ministrant quoque ipsi decies centena millia Angelorum, Dan. 7. v. 10. & canunt cum jubilo: Nunc facta est salus, & virtus, & Regnum Dei nostri, & potestas Christi ejus: quia projectus est accusator fratrum nostrorum. Propterea lætamini cœli, & qui habitant in eis, Apoc. 12. v. 10. 12.*

Præclarum exemplum habemus in prælectâ Pericope, ubi Christus surdum &

mutum restituit, ut perfectè ille audire & loqui potuerit. Id insuper habebant Pharisei: at turba probè perspiciebat, miraculum hoc à Deo esse, ideò suprâ modum admirantes, dicebant: *Omnia benè fecit.*

Nos instituti nostri memores videbimus

- I. Triplicem Querelam.
- II. Triplicem Medelam.
- III. Triplicem Cautelam.

J. J.

Exegesis.

NOs miseri homunciones, propter lapsum Protoplastorum, quasi Satanæ mancipia facti sumus, quos laqueis suis irretivit, à quo captivi tenemur ad ipsius voluntatem, 2. Tim. 2. v. ult. ideò de filiâ illa Abrahæ dicitur, quod alligaverit eam Satanæ spiritu infirmitatis, Luc. 13. v. 16.

Ejusmodi laquei plurimi sunt. In prælectâ Pericope unus exhibetur, cujus aures alligavit, ut audire, & linguam, ut loqui non possit: En miseram hujus viri conditionem! At Christus vel verbo illum curavit. Nam Ephata dixit, quod est, adaperire. Et statim aperta sunt aures ejus, & solutum est vinculum linguæ ejus, & loquebatur rectè.

Querela respicit

1. *Morborum corporalium frequentiam.* Peccato hoc acceptum ferendum: Qui enim delinquit in conspectu ejus, qui fecit eum, incidet in manus Medici, Sir. 38. v. 15. In Paradiso nullus morbus locum habuisset: sed arbor vitæ hominem in perpetua sanitate conservasset, Genes. 2. vers. 17.

ccc

post-

postquam verò Diabolo ille adfensit, ut contra Dei interdicium de fructu arboris in medio horto, quæ nomen de scientiâ habuit, decerpserit & comederit, cum peccato mors, ejusque antesignani varii morbi introducti sunt, ut nunc omnes moriamur, & quasi aquæ dilabamur in terram, quæ non colliguntur, 2. Sam. 14. v. 14.

Julius Cæsar cepit cervum, quem mobili ornatum, his verbis dimisit: Hoc me Cæsar donavit. Hic cervus post mille annos à Corolo, Galliarum Rege captus est, ut Simon Majolus scribit.

Nos Dilecti! & ipsi monile gestamus, quod est peccatum, & varia ex peccato fluentia mala, de hoc non incommodè dicere possumus: Hoc nos Adam donavit, ut hodie tenus post quinque mille annos in his miseris degamus, & querelam hanc ingeminare teneamur: Patres comederunt uvam acerbam, & dentes filiorum obstupuerunt, Ezech. 18. v. 2.

Quemadmodum igitur in Nosocomio aliquo, omnia conclavia infirmis repleti sunt, cæcis, claudis, surdis, leprosis, paralyticis, hydropticis, aliisque id genus hominibus: Ita & mundus ejusmodi Nosocomium est, plenum ægrotis, ubi quilibet infirmitatibus suis laborat, ut non abs re Lutherus dixerit: *Quot membra, tot mortes.* Hic claudus est ut Mephiboseth, 2. Sam. 4. v. 4. ille cæcus, ut Tobias, Tob. 2. v. 11. iste pestilentia laborat, ut Hiskias, Esa. 38. v. 21. Hic paralyti, ut servus Centurionis, Matth. 8. v. 6. iste febrî, ut focrus Petri, Matth. 8. v. 14. iste leprâ, ut Naaman, 2. Reg. 5. v. 1. infectus est. Hic mutus est & surdus, ut miseræ speculum in Evangelio, ille æger

pedibus, ut Assa, 1. Reg. 15. v. 24. iste clandestino dolore percitus, ut Paulus, qui stimulum ejusmodi in carne sensit, 2. Cor. 12. v. 7. Et quis omnes infirmitates enarrabit, quibus homo ob peccata obnoxius est. Nam caro ejus dum vivet, dolebit, & anima illius in ipso lugebit, Job. 14. v. ult.

Hæc consideratio meritò superbiam reprimat. Sumus enim nil nisi terra & cinis, ut Abraham dicit, Genes. 18. v. 27. & gerimus corpora infirmitatis, Phil. 3. v. ult. mortalia corpora, Rom. 8. v. 11. corpora peccati, Rom. 6. v. 6. quæ sæno & flori agri comparantur, Psal. 103. v. 15. & ut vapor transeunt, Jac. 4. v. 14. Ecquid igitur superbiamus? Nihil sanè causæ est: omnes enim mortem circumferimus, & licet quis pulchritudine Absolonem, 2. Sam. 14. v. 25. aut fortitudine Samsonem, Jud. 15. v. 15. aut divitiis Salomonem æquaret, 1. Reg. 10. v. 23. attamen mortem non evitabit: sed immotum manet effatum Dei: Terra es, & in terram reverteris, Gen. 3. v. 19. Sir. 10. 9.

II. *Miserie spiritualis coherentiam.* Coram Deo enim meri Nabales seu stulti sumus, qui non intelligimus, quæ pacis nostræ sunt, Luc. 19. v. 42. propterea Deus ipse nos equis & mulis confert. Psal. 32. v. 10. quin & boves & asinos nobis præfert, qui præsepe Domini sui agnoscunt, Esa. 1. v. 3. nos verò adeò rudes sumus, ut sæpè oculis nostris non videamus, auribus nostris non audiamus, & corde nostro non intelligamus, Esa. 6. v. 10.

Equidem multi habent prurientes aures, ut nova capent, sicut Athenienses, Act. 17. v. 20. sed verbum Dei ipsis onus est, Jer. 23. v. 39. & intolerabile ipsis videtur, si per horulam cultui divino interesse de-

debeant, ut Judæi dicebant: Quando tranſibit mentis, & venundabimus frumenta, & Sabbathum, & aperiemus frumentum, Amos 8. v. 5.

Sic & multi occurrunt, qui promti ſunt ad ſtultiloquium, aut ſcurrilitatem, Eph. 5. v. 4. aut ad execrationes & blaſphemias, ut Rabſaces, 2. Reg. 19. v. 6. obmutefcunt verò ad loquendam juſtitiam, Pſal. 58. v. 2. Hinc canes muti inveniuntur in Eccleſia non valentes latrare, Eſa. 56. v. 10. ſed placentia loquuntur auditoribus, propter pugillum hordei, & fragmen panis. Ezech. 13. v. 19.

Occurrunt canes muti inter Magiſtratus, qui hominum iram magis verentur quàm Dei, aut muneribus ſe corrumpi ſiunt: Xenia & dona excæcant oculos judicium, & quali ligamentum in ore avertit correptiones eorum, Sir. 20. v. 31.

Quin & canes muti ſeſe offerunt in vitâ communi, quando Parentes in diſciplinâ negligentes ſunt, ut Eli, 1. Sam. 3. v. 13. ſive ſocordes ſunt ad pſallendum, ut pudeat eos laudis Dei, Sir. 51. v. 37. quod clarè indicat, parum devotionis in corde eſſe. Ex abundantia enim cordis os loquitur, Matth. 12. v. 34. iccirco indigni ſunt, quibus Deus oculum videntem, aurem audientem, & linguam loquentem conſeſſerit: quia membris his tantùm ad peccata abutuntur, & membra iniquitatis exhibeat, quibus rectius ſervire juſtitia debebant, Roman. 6. v. 19.

Sicut igitur Chriſtus dixit Ephata, & hoc verbo aures ejus aperuit, & vinculum linguæ ejus ſolvit: Ita adhuc hodiè verbi Præcones, quaſi tuba exaltent vocem ſuam, Eſa. 58. v. 1. & ſpiritalibus his mutis

ac ſurdis acclament: Ephata, adaperi aures tuas, peccator obſtinate! & verba vitæ ſuſcipe, Joh. 6. v. 69. quæ potentia Dei ſunt, ad ſalutem omni credenti, Rom. 1. v. 16.

Ephata, & vide ſalutem, quam facit Dominus in populo ſuo, Exod. 14. v. 13. Ephata, adaperi labia, & ora ſemper ad Dominum, & ſuſcipiet orationem tuam, ſicut ſacrificium vespertinum, Pſal. 141. v. 2. dabitque tibi petitiones cordis tui, Pſal. 37. v. 4. Hoc ſi non attenditur, aliquando dicetur: Inferne Ephata! ubi ejuſmodi contentores gratiæ ad infernum detrahentur, ad latus lacu, Eſa. 14. v. 15. in quo non eſt aqua, Zach. 9. v. 11. ſed ignis & ligna multa: ſtatus Domini, ſicut torrens ſulphuris ſuccendens eam, Eſa. 30. v. ult.

III. Rerum prohibitarum appetentiam. Quantò magis turbæ Chriſtus præcipiebat ne cui dicerent, tantò magis prædicabant.

Idem hodiè tenus accidit. Principio Deus hominem ad imaginem ſuam condiderat, ut Creatorem ſuum perfectè agnoſceret, nec modò voluptate caperetur, ad voluntatem ejus vivendi: ſed & vires aderant, ut idem in ſumma perfectione præſtare poſſet. Quia verò ex deſtinata malitia à Creatore ſuo deſcivit, & ad Satanæ impulſum de arbore vetitâ comedit: imaginem Dei cum concreata juſtitia & ſanctitate ille deperdidit, & ejus loco ſucceſſit ignorantia in intellectu, ut homines natara nunc tenebræ ſint, Ephes. 5. v. 8. nec ſapient ea, quæ Dei ſunt, ſed ea, quæ hominum, Matth. 16. v. 23. malitia in corde, ut omne figmentum cogitationum cordis ejus tantummodò malum ſit omnibus diebus, Genes. 6. v. 18. & repugnantia in voluntate, ut homo poſt lapſum nihil aliud ſit, quam

Decalogus inversus. Quæ enim lex jubet, non facit, quæ verò prohibet, ad ea facienda proclivis est, ut Paulus de seipso conqueritur, Rom. 7. v. 22. & ut Poëta canit:

Nitimur in vetitum semper cupimus-
que negata.

Ideam habemus in Israelitis, quibus verè applices: *Semper contrarius esto.* Sermonem quem locutus es ad nos in nomine Domini, non audiemus ex te: sed facientes faciemus omne verbum, quod egredietur de ore nostro, Jer. 44. v. 16. Vide Exod. 16. v. 27. Num. 14. v. 44. 2. Chron. 36. v. 16.

Nos multa exempla eminus arcessere non opus est: Filii hujus seculi hodierno die hoc vitio laborant, ut Spiritus sancti regimen non suscipiant, sed dicant: *Manda, remanda: manda, remanda,* Esa. 28. v. 16.

Id quotidie experiuntur fideles verbi Præcones. Quamto magis enim flagitia hominum, quæ passim invaluerunt, fervente zelo taxant: tanto illi magis obstinatè resistunt. Hinc quidem gementes illi faciunt officium suum, Hebr. 13. vers. 17. at Deus tempore suo id requiret, & retribuet illis, unicuique retributionem in caput ipsorum, Sir. 17. v. 19. Qui igitur nocet, noceat adhuc: & qui justus est, justificetur adhuc, Apoc. 22. v. 11. die ultimo, videbimus, quid intersit inter justum & impium, & inter servientem Deo, & non servientem ei, Mal. 3. v. ult.

De Secundo.

Sequitur *Medela*, quæ fuit
1. Ex Christi digito, quem infirmi hu-

jus auriculæ immisit, & eo auditum ipsi restituit. Non enim comparatum est cum Servatore nostro, ut cum idolo Dagon, cujus palmæ manuum abscissæ erant, 1. Samuel. 5. v. 4. Sed duo habet brachia, & duas manus, dextram & sinistram. Sinistrâ vulnerat, dextera verò medetur, & sanat vulnera, quæ percussit, Job. 5. v. 18.

Sicut igitur aliàs quælibet manus naturaliter quinque digitos habet: sic & Christus Servator quinque digitis præditus est.

Primus est pollex, à pollendo, & notat divinam ejus omnipotentiam, qua potest subjicere sibi omnia, Phil. 3. v. ult.

Secundus est index, quâ nos in via vitæ instruit, Psal. 32. v. 8. & quanta pati nos oporteat, pro nomine ejus, indicat, Act. 19. v. 26.

Tertius est medius, & signat miracula ejus, quæ nemo facere potest, nisi fuerit Deus cum eo, Joh. 3. v. 2. quemadmodum enim medius longissimus est, & longissimè extenditur: sic & Christi virtus & omnipotentia extendit se super omnia, quæ in cælo & in terra sunt, in mari & in omnibus abyssis, Psal. 135. v. 6.

Quartus vocatur Medicus, in quo aurei annuli gestantur, quia opinio est, ab hoc digito venulam ad cor per tingere, quod cum auro singularem *συνμαθεῖαν* habeat, & eò corroboretur. Illo indicatur, Christum esse Sanatorem nostrum, Exod. 15. v. ult. & petram cordis nostri, Psal. 73. v. 26. quin & protectorem vitæ nostræ, Psal. 27. v. 2. Sicut omnes laborantes & oneratos ad se vocat, ad reficiendum illos, Matth. 11. v. 28.

Quintus isque minimus, dicitur *auricularis*,

vis, quem procul dubio Servator huic surdo & muto in auriculam immisit: sicut adhuc hodie hoc digito valde negotiosus est, & omnibus Christianis aures aperit, ut verbum prædicatum penetrare, & postea in corde radicare & fructum edere possit, Luc. 8. v. 15.

Confidite proinde, Vos mei! nec desperate, quando in varias tentationes inciditis: Si Jesus noster digitulum modò movet, salus vobis parata est. Nam præ multitudine fortitudinis & roboris, virtutisque ejus, neque unum deficit, Esa. 40. v. 26.

Caveamus modò ne manus nostras sanguine innocente inquinemus, Esa. 1. v. 25. aut ad iniquitatem extendamus, Psal. 125. v. 3. sed levemus puras manus, sine irâ & dubitatione, 1. Tim. 2. v. 8. Aliàs avertet non modò manum, sed & faciem suam à nobis, Psal. 27. v. 9. sicut à Judæis, quibus in ira suâ dixit: Non addam, ut ultra vos liberem, Jud. 10. v. 13. hinc sequitur *וַאֲנִי לֹא אֶפְדֶּה אֶתְכֶם*. Væ enim, ubi recessero ab eis, Ol. 9. v. 11.

II. *Ex forti imperativo.* Ubi enim ad infirmum ait: Ephata! statim aperta sunt aures ejus, & solutum est vinculum linguæ ejus, ut non modò audiat, sed & loquatur rectè.

En Sanatorem peritissimum, & felicissimum! Non enim indiget herbâ neque malagmate ad curationem: sed sermone suo omnia sanare potest, quæ desperata videntur, Sap. 16. v. 12. Scivit hoc Centurio Capernaïticus, idè dixit: Domine, dic tantùm verbum, & sanabitur puer meus, Matth. 8. v. 8.

Alii Medici morbum pedetentim ex-

pellunt, qui homines impetu uno invasit: Verùm hic Medicus infirmum hunc plenariè in momento restituit, ut loqui & audire perfectè possit. Dicitur enim ejus, est factum, Psal. 33. v. 9.

Alii Medici non sine pretio infirmos visitant: verùm id non attendit Servator, idè hîc venit in medios fines Decapoleos, in terram arenosam & petrosam, quam Hiram respuebat, cum Salomo ipsi offerret pro lignis, quæ ad templi structuram concesserat, 1. Reg. 9. v. 12. luculento indicio, quod non propter se, sed propter nos homines in mundum hunc venerit, Matth. 20. v. 28.

Alii Medici quandoque ægrotis immittes se præbent, ut ab iisdem multos dolores sustineant, ut exemplum Hæmorrhousæ docet, Luc. 9. v. 43. Verùm hic Medicus compatiens est, propterea ingemiscit, ubi infirmum hunc contuetur. In omnibus enim tentatus est, sicut & nos: & in quo passus est ipse, & tentatus, potens est eis, qui tentantur, auxiliari, Hebr. 2. v. ult.

Quodsi igitur morbo vel aliis calamitatibus immersus es: confide in hoc Domino, qui hîc egregium specimen edidit; omnes enim filii ejus sumus, idè conturbantur viscera ejus, miserans miserabitur nostrum, Jer. 31. v. 20.

III. *Ex benefactorum cumulo,* quorum intuitu causam habemus ei gratias agendi & cum turbâ exclamandi: Omnia benè fecit!

Adam primus noster parens omnia malè fecerat, & per transgressionem suam peccatum introduxerat, & cum peccato mortem, Rom. 5. v. 10. ad quod nos quoque conferimus, quando sicut Adam

ecce 3

trans-

transgredimur pactum, Ol. 6. v. 7. Sed quod Adam deperdidit, Christus velut secundus Adam restituit, Rom. 5. v. 17. Hinc Vates:

Unus homo nobis moriēdo restituit rem,
Dum nos reconciliavit cum Deo Patre,
Rom. 5. v. 10. & ita illuminavit vitam & incorruptionem per Evangelium, 2. Tim. 1. v. 10.

Hoc de omnibus operibus & creaturis Dei intelligendum est. *Bona condita sunt omnia, sed malè utentibus quedam data sunt in flagellum*, ait Eucharis. Confer Sir. 40. v. 33. Interea Deum diligentibus coöperantur omnia in bonum, Rom. 8. v. 28. Dum enim iudicamur, à Domino corripimur, ne cum hoc mundo damnemur. 1. Cor. 11. v. 31.

Quando igitur in tribulationibus constitutus, vel diuturnis morbis immerfus acerbos dolores sustinere coegeris, revoca tibi in memoriam hoc dictum: Dominus omnia benè fecit, & collige hinc, quod neque te patieris tentari, supra id, quod potes, 1. Cor. 10. 13. sed tandem eripiet & glorificabit, Psal. 91. v. 15. ut videas iustitiam ejus, Matth. 7. v. 9.

Si mors amicissimos quoque tibi abripit, animam in patientia custodi, nec contristare sicut illi, qui spem non habent, 1. Thess. 4. v. 13. sed die cum turba hac: *Omnia benè fecit. A facie enim mali collectus est iustus. Veniet pax, requiescet in cubili suo, Esa. 56. v. 2.*

Quod si ipse à morte salutaris ad mundo valedicendum: noli expavescere! sed tranquillo animo expecta eam: Dominus qui omnia benè fecit, & hanc in parte benè faciet, & gratia atque solatio suo te corrobora-

tabit, ut mortem superare & in vitam transire possis. Ibi demum verè canemus: *Omnia benè fecit. Amen, Amen, dico vobis, quia qui verbum meum audit, & credit ei, qui me misit, habet vitam æternam, Joh. 5. v. 24. ibi implebitur, quod Christus dixit: Iterum videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis, Joh. 16. v. 22.*

Beati mortui, qui in Domino moriuntur à modo, Apoc. 14. v. 13. In vita æterna terrestrem hanc habitationem deponemus, 2. Cor. 5. v. 1. fulgentes sicut splendor firmamenti, Dan. 12. v. 3. & ut Sol in Regno Patris, Matth. 13. v. 43. ibi quæ in lacrymis seminavimus, cum exultatione metemus, Psal. 126. v. ult.

De Tertio.

Restat *Caucela*, quæ tribus absolvitur Regulis, ut sunt

I. *Miseris succurre.* Hic audimus homines quosdam beneficos se offerre, qui muti & surdi curam gerant, eumque non modo Christo adducant, sed & pro eo intercedant, ut ei imponat manum. Procul dubio audiverunt, quomodo antehac leprosum nudo contactu mundarit, & Petri socrum à febre liberarit, Matth. 8. v. 3. 15. nec non filiam Jairi à mortuis excitavit, Matth. 9. v. 25. idè non dubitant, quin Dominus impositione manus hunc quoque curaturus sit. Mutatio enim dexteræ ejus, Ps. 77. v. 11.

Discamus hoc ab ipsis, ut & nos necessitatibus sanctorum communicemus, Rom. 12. 13. Requirit id caritas Christiana; sumus enim membra ejusdem corporis. Sicut igitur membrorum corporis humani hæc ratio est, ut, si unum patitur membrum, com-

pa-

patientur omnia membra, gloriatur unum membrum, congaudeant omnia membra, 1. Cor. 12. v. 26. Pari ratione & nos proximi rationem habeamus, ut si prospera fortuna utatur, intercedamus pro incolumitate ejus: sin adversa, ut malum ab eo avertat Deus, vel ita moderetur, ut faciat cum tentatione evasionem, 1. Cor. 10. v. 13. hoc bonum est, & acceptum coram Servatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvare, 1. Tim. 2. v. 4.

Non itaque mala consuetudo est, ut infirmi ad preces Ecclesie confugiant; hoc Jacobus diu suavit, Jac. 5. v. 15. & experientia testatur, preces has non sine effectu esse. Propè enim est Dominus invocantibus eum, Psal. 145. v. 18.

Quilibet igitur, quando ægroti publicis precibus Deo commendatur, devotè pro iis intercedat, ex hac consideratione, quod & tempus venire possit, quo & ille aliorum intercessione egeat. Unde Christus ita Orationem adornavit, ut dicamus: Panem nostrum quotidianum da nobis hodie &c. dilucidè significans, ut non modò pro nobis oremus: sed aliorum misertiam precibus nostris adjuvemus. Hoc si ita fit, ut alter alterius onera portet, adimplebimus legem Christi, Gal. 6. v. 2.

Qui verò aliorum oratione adjuvari volunt, hoc observent, ne & ipsi eandem domi obliviscantur, & ita se gerant, ut causam habeamus pro salute eorum intercedendi. Inutilia enim terræ pondera, qui fruges tantummodò consumere nati, vel aliis exitiosi sunt, non merentur Christianam intercessionem, nisi eatenus, ut Deus eos ad frugem reducat, & nisi converti possint eosdè exitio tradat, ne & sancti propter eos cōvertantur ad stultitiã, Pl. 85. v. 9,

Cæterum Christiana caritas de omnibus meliora quæq; sperat, nec cogitat malum, 1. Cor. 13. v. 6. Perperam igitur illi agunt, qui in aliorum infortunio gaudent, & precibus animum vindictæ cupidum produnt. Cum ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas, Prov. 24. v. 18. potius diligamus inimicos nostros, oremus pro lædentibus & persequentibus, ut simus filii Patris, qui in cœlis est, Matt. 5. v. 44.

II. *Medico pare.* Christus miraculosus est Medicus, qui vilibus quidem utitur mediis, sed salutarem effectum edentibus, si in tempore adhibeantur. Hic audimus, quod miserum hunc hominem à turba seorsim abducatur, mittat digitos ei in auriculam, & exspuens tangat linguam ejus: deindè suspiciens in cœlum ingemiscat, dicès: Ephata; Et statim apertæ sunt aures ejus, & solutum est vinculum linguæ ejus, & loquebatur rectè.

Tu etiam ejusmodi ægrotus es, mi Christiane! idèò vide ne Medici hujus curatione contempnas. Si te à mundo seorsim abducit, promte sequere, & obliviscere domum Patris tui, Pl. 45. v. 11. & omnia quæ retrò sunt, Phil. 1. v. 14. nam si quis mundum diligit, non est caritas Patris in eo, 1. Joh. 2. v. 15.

Ponit tibi digitum in auriculas, tubliste, ut Spiritus sanctus in te operetur. Nam quicumq; Spiritu Dei aguntur, hi sunt Filii Dei, Rom. 8. v. 14. Qui verò resistunt, ut Judæi, Act. 7. v. 51. durum erit his contrà stimulum calcitrare, Act. 9. v. 6.

Si vult linguam tuam solvere, paude os tuum, dicens: O Domine, sine te nõ possum Jesum Dominum dicere, 1. Cor. 12. 3. te verò aperiente os meum, & labia mea tangente, benedicam te in omni tempore: semper laus tua in ore meo, Psal. 34. v. 2. Rectè loquar respectu Dei, quæ modesta, justa & ca-

& casta sunt, Phil. 4. v. 8. Rectè respectu proximi, ut sermo meus semper in gratiâ salis conditus, Col. 4. v. 6. ne ulli dem offensionem, 2. Cor. 6. v. 4.

Instructio hoc inserviat vestræ, fratres! Christus adhuc hodiè vilia media ad animæ nostræ curationem adhibet, nempe verbum & Sacramenta. Verbum est sermo Crucis, attamen placuit ei per stultitiam prædicationis, salvos facere credentes, 1. Cor. 1. v. 18. 21. 23. Eodem modo se res habet cum Sacramentis. In baptismo enim aqua abluimur, & tamen ille nos salvos facit, 1. Petr. 3. v. 21. In Cœna nil videmus & gustamus nisi panem & vinum, & tamen *novavit* est corporis & sanguinis Christi, 1. Cor. 10. v. 15. seqq. quibus ad vitam æternam nutrimur, Johan. 6. v. 54. Quod si absurdum videtur rationi nostræ, consideremus omnipotentiam Christi, Eph. 3. v. 20. 1. Cor. 10. v. 5. Intereâ spe salvi sumus, Rom. 8. v. 24. scientes, quod quando Christus vita nostra apparuerit, & nos apparituri simus cum ipso in gloriâ, Col. 3. v. 14. Joh. 12. v. 26.

III. *Gratum te prabe.* Exemplo est turba in Evangelio, cui nos quoque conformemur, ut nullum momentum prætermittamus, quo non gratias pro beneficiis illi agamus. Bonum est confiteri Domino, Psal. 92. v. 2.

Debemus Deo hanc gratiam,

1. *Jure creationis.* Sicut enim Adamum primum è glebâ terræ formavit, & spiraculum infudit ei, Gen. 2. v. 7. sic adhuc hodiè nos format in utero, & inde extrahit, Job. 11. v. 12. Dicamus ergò cum Davide: Laudo te, quod stupendò modo factus sum, Psal. 139. v. 14.

2. *Jure Redemtionis.* Sic enim Deus di-

lexit mundum &c. Joh. 3. v. 16. Cum enim sub potestatem Satanæ devenissemus, & concreatam justitiam & sanctitatem amissemus, nemo erat neque Angelorum, neque hominum, qui nos redimere potuisset, Psal. 49. v. 9. Sed audi cum admiratione, quid Deus fecerit? *Ut servum redimeret, Filio non pepercit*, Bernhardo dicente, Rom. 8. v. 22.

Rursus itaque gratias agentes, cum Zacharia dicamus: Benedictus Dominus Deus Israel, Luc. 1. v. 68. 71.

3. *Jure sanctificationis.* Quia enim natura filii iræ sumus, Eph. 2. v. 3. generatio mala & adultera, Matth. 12. v. 39. nec possumus videre Regnum Dei, Joh. 3. v. 5. ille nos in baptismo in hæredes adoptavit, Tit. 3. v. 7. & quotidie Spiritum sanctum cordibus nostris immittit, qui adjuvat infirmitatem nostram, Rom. 8. v. 27. & bonum opus perficit, usque in diem Jesu Christi, Philip. 1. v. 6.

Hic denuò gratiarum actione opus est. Deus enim qui dives est in misericordiâ, propter multam caritatem suam, quâ dilexit nos, convivificavit nos, Eph. 2. v. 4.

Sed corde fiat non ore tantum, ne conqueratur Deus: Appropinquat mihi hic populus ore suo, & labiis me honorat: cor autem eorum longè est à me, Matth. 15. 8.

In omnibus igitur gratias agite, hæc enim est voluntas Dei in Christo Jesu, in omnibus vobis, 1. Thess. 5. 18. Etenim Sacramentum Regis abscondere bonum est, opera autem Dei revelare & confiteri, honorificum est, Tob. 12. v. 7. Sacrificans laudem, honorificabit me: & illiciter, quo ostendam illi salutem Dei, Psal. 50. v. ult.

Sit ipsi laus & gloria in secula seculorum, Amen.

DOMI.